

Werk

Titel: Disputationem De Luce Cometarum

Autor: Weigel, Erhard

Verlag: Krebs

Ort: lenae

Jahr: 1666

Kollektion: fid.mathematica

Signatur: 8 ASTR I, 409:1 (23)

Werk Id: PPN857359983

PURL: http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN857359983|LOG_0004

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=857359983>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

cum lumine seu qualitate illuminatoria trajicitur ad corpus il-
luminandum; vel inter corpus lucidum & illuminandum con-
tinue seu potius contigue sita conceptum à lucido pulsum illu-
minatorium per series partium rectilineares eosque propa-
gat. per ax:z. Q. E. D.

SCHOLION.

Cognoscitur hinc duas tantum esse hypotheses, quibus
materia lucis explicari, seu ratio motus illuminatorii non si-
gnatè sed exercitè cognosci potest. Qvarum prior videatur
apud Aristotelem & Gassendum, posterior apud Cartesium.

PARS ALTERA

DE

Luce cometica

DEF.

COmēta dicitur stella temporaria, qvæ præter
communem cœli motum etiam propriam ex-
ercet trajectiōnem.

SCHOLION.

Motus communis est, quando cometa cum stellis fixis vi-
ginti quatuor horarum spatio semel circa terram nostram ab
ortu per meridem in occasum, & inde per medium noctem in
ortum moveri cernitur, qvi motus alias dicitur motus primus,
& vel solus cometam cœlo mancipat, illamqve controversiam:
an cometa sit in cœlo, an vero halitus in aëre accensus? dirimit.
Proprius alias qvoad stellas perpetuas ita definitur, qvod sit is,
qvo singula stellarum, (scil. perpetuarum) genera motu pri-
mo sic conjunctim circumducta, seorsim ab occasu versus or-
tum secundum ductum Zodiaci quotidie ad certam sed inæqva-
lem intercapelinem oblique regredi, & certo sed inæquali tem-
pore & velocitate totum circulum sua regressione absolvere
videtur. Verùm motus cometæ atque stellæ temporalis an-
gustiis hisce circumscribi se non patitur, qvippe qvi nec ab oc-
casu semper in ortum tendit, nec adeo secundum Zodiaci du-

etum in omnibus exerceatur. Quapropter, ut motus proprius ad cometas possit extendi, definiendus est hoc modò, qvod sit, qvo successiue digrediuntur stellæ à stellis sibi vicinis motuque communi circumiuntibus, qvod in cometis ita quidem accidit, ut alii à meridie in septentrionem, alii contra; alii ab occasu in ortum, alii ad aliam quamcunque plagam mundi intermedium secedant. Non enim omnes eodem modo coguntur, sed forte à quacunque plaga plurimum materiae ipsis tribuntur, ab eodem etiam venit impetus, ita ut ad oppositam tendere necessum habeant. Nota cometarum expeditior est tractus quidam ipsius corporis tanquam nuclei radiosus, qui si longius protendatur ad eandem partem, Cauda dicitur, si brevius, Barba, si circum circa, Coma. Inde cometæ alii caudati, alii barbati, alii comati dicuntur. Plures species à forma seu figura tum corporis, tum tractus radiosus constituit Plinius lib. II. cap. 25. qui videatur.

Observationes.

OBS. I.

Cometæ discus visibilis perimetro velut incerta disceptis & confusis partibus subobscuram lucem evibrantibus constante terminatur.

SCHOLION.

Testatur hoc non tam nudus quam telescopio munitus visus; nec dubito, qvin, ut ipsi nos saepius experti sumus, ita, quicunque tubospecillis usi sunt, cometam eam, quæ diximus formam semper observaverint. Licet enim oculo nudo cometæ corpus saepè sub eadem forma, qya stellæ perpetuae, cum primis Jupiter & Venus, gaudent appareat, tamen, si telescopium adhibeas, ut in predictis stellis certam & continuam perimetrum, distinctas corporis totius partes, claram partium lucem agnoscis; ita in cometis & perimetrum discontinuum, dubiam, vagam & incertam, & indistinctas corporis partes, quasi discepitas & disgregatas; & creperam tantum emortuamque lucem advertis, perinde ac si nubem aliquam non nimis coactam, sed raram & quasi carminatam intuearis.

OBS. II.

OBS. II.

CAuda seu Barba corpori cometico sic adhæret,
ut ab eo versus oppositam Soli plagam vergat.

SCHOLION.

Testantur hoc omnium cometarum historiæ , nec obstat,
qvod in qvibusdam cometis aliquæ caudæ declinatio ab ipso
exactæ oppositionis puncto fuerit observata, vid. Tych. Tom.
II. Progym. c. 7. cum illa tanta non sit, ut propterea caudam in
partem oppositam Soli vergere non liceat affirmare. Præsertim
cum & Luna , etiamsi non patiatur eclipsin , h. e. etiamsi præ-
cisè non opponatur Soli , nihilominus Soli dicatur opposita,
qvoties pleno vultu lucet.

OBS. III.

CAuda nonnunquam ad 90 gradus longa, ple-
rumque tamen brevior, visa est.

SCHOLION.

Ut à verborum ambagibus abstinere queamus placuit h. I.
tabulam ex accuratissimis observationibus a Ricciolo con-
structam allegare , qvæ videatur Almag : Novo. lib VIII. cap.
4. n. VII.

OBS. IV.

COmeta tanto ad sensum tempore moratur su-
pra Horizontem , qvanto stella fixa sibi con-
juncta, si solus spectetur motus cometæ primus.

SCHOLION.

Ad sensum , inquam , & in respectu ad phænomenon,
qvod motu viginti qvatuor horarum circa terram intra com-
plexum aëris æqvabiliter moveretur. Hoc ipsum enim maxime
sensibiliter , ut infra secutæ demonstrationes evincent , mi-
nor i tempore supra Horizontem moraretur , qvam stella fixa si-
bi conjuncta.

OBS. V

OBS. V.

Cometæ saepe Sole in imo cœli constituto ortisunt
& occiderunt.

OBS. VI.

Cometæ progressu continuo lucem subobscuram
retinent.

OBS. VII.

Caudæ cometæ cylindrus circa initium impi-
mis qvoad axem , claritate nonnunquam vix
cedit capiti.

OBS. VIII.

Cometæ caput diametro visibili quadrantem gra-
dus raro legitur excessisse.

OBS. IX.

Cauda cometica nonnunquam pluribus diebus &
interdum totidem duravit, qvot ipsum cometæ ca-
put apparuit.

OBS. X.

Cauda cometæ plerumqve multo latior est quam
caput.

SCHOLION.

Adeo qvidem ut latitudo major ad usqve transversalem
lineam per centrum corporis cometici ductam se extendat , &
tractum capiti cometico instar barbæ adhærentem referat, qvod
in nuperis cometis nemo non advertit.

OBS. XI.

Stellæ ultra quadrantem à cometa remotæ non ap-
parent clariores, quam si intra quadrantem à co-
meta consistant, nisi caput aut caudam ejus subeant.

Axio-

Axiomata.

Ax. I.

Corpus densum & consistens discum telescopio visibilem exhibet certa perimetro constantem.

Ax. II.

Corpus rarum ex moleculis disgregatis coactum telescopio nec perimetrum certam, nec partes distinctas exhibet.

Ax. III.

Corpus densum & opacum, si à Sole illustratur, fortius resplendescit quam rarum & pellucidum.

Coroll.

Tanto densius est corpus obscurum cœteris paribus, quanto clarior reflexive lucet.

Ax. IV.

Corpus quod densum non est, rarum est.

Ax. V.

Angulus quem facit semidiameter circuli cum tangentे in puncto contactū concurrens, rectus est.

Ax. VI.

Tantus est angulus, quantum est arcus circuli ex angulari puncto tanquam ex centro descripti, cruribus anguli interceptus.

Ax. VII.

Stella fixa Æqvatorealis duodecim horas moratur supra Horizontem.

Ax. VIII.

Radius corporis illustrantis ab illustrante respectu

C

Cor-

Corporis illustrati in oppositam plagam vergunt.

Ax. IX.

**Constipatis radiis illustratus tractus angustior est,
qvam qvi radiis iisdem libere sparsis illustratur.**

SCHOLION.

Ita in exceptorio qvodam opaco post lentem vitream ar-
cola quæ radiis constipatis illustratur adeoqve clarior est
qvam reliqua superficies opaci liberis radiis solis illustrata,
semper minor est ipsa lente.

Ax. X.

**Radii lucis eò feruntur qvo rectæ lineæ , liberè duci
poslunt.**

Lemma. I.

**Aér sensibilis ultra qvatuor milliaria Germanica
non aslurgit supra terræ superficiem.**

Vid Sphær. Euclid. Obs. XVI.

Lemma II.

**Semidiameter terræ est 860 milliarium Germani-
corum circiter.**

Vid. Sphær. Euclid. Obs. V. §. 4.

Lemma III.

**Cœli substantia ad reflectendos radios lucis inha-
bilis est.**

Vid. Sphær. Euclid. Obs. XIV.

Lemma IV.

Radiis Solis Planetæ reliqui omnes illustrantur.

PROPOSITIONES.

PROPOS. I.

Cometa est corpus rarum.

Demon-

Demonstratio.

Cum cometæ discus visibilis perimetro velut incerta discriptis & confusis partibus subobscuram lucem evibrantibus constante terminetur, per obs. i. Non erit corpus densum & consistens, per ax. i. Et per consequens erit rarum per ax. 4.
Q. E. D.


SCHOLION.

Cum cometa sit corpus rarum, physica qvadam evidentia certum est, non esse stellam perpetuam, sed temporariam generationi & corruptioni obnoxiam, moleculis uti successive coaluerunt, ita successive per auram ætheream dispersis, in qva potius, qvam in aëre moventur, ut ex seqq. propositionibus clarum erit.

PROPOS. II.

Cometa extra aërem existit & movetur.

Demonstratio.



Sit FEG terra, BDA aér, AEB horizon apparenſ. Cum aér ultra quatuor millaria Germanica non asfurgat ſupra terræ ſuperficiem per Lemma i. Si cometa in aëre hæreret, ipſe dum oritur, ſtelle v g. æquatoriali coniunctus arcum diurnum maximum haberet ADB. per ſtructuram. Cujus arcus quantitas invenitur juxta Trigonometriam h. m. Cum ſemidiameeter terræ CE. ſi 860. mill. per lemma 2. ſemidiameeter aëris maxima CB. 864. mill. per lemma i. angulusqve CEB. ſit rectus per ax. 5. Erit ut 864. ad 860. ita radius 10000000. ad ſinum CE. 9853703. cui respondet angulus 84. 29 EBC; ejusq; complementum ECB. 531, cujus duplum eft angulus ACB. 112

æqvalis arcui A D B per ax. 6. Ergo arcus A D B. est grad: ii 2. quibus respondent horaria minuta 44 30. Atqui stella æqvatorealis duodecim horas moratur supra horizontem per ax. 7. Quamdiu etiam cometa morari deprehenditur per observ. 4. Ergo cometa non potest in extrema superficie aëris nedum intra superficiem ejus extremam consistere; sed oportet, ut longe supra aerem existat & moveatur. Q. E. D.

PROPOS. III.

COmets à radiis solaribus illustratur.

Demonstratio.

Cum cometæ longe extra aerem existant per prop. 2. & sæpius sole in imo cœli existente oriantur & occidant per obs: 5. consistent extra umbram terræ per structuram, & à radiis solaribus illustrabuntur per ax. 10. & Lemma 4. Q. E. D.

SCHOLION.

Sive igitur cometa de se lucis aliquid habeat, instar ignis aut cincindelarum, siye, qvod maxime probabile est, destitutus omni nativa luce, nihil aliud sit quam congeries exhalationum ex corporibus mundanis eructatarum, instar nubis in æthere coacta moleculis de se prorsus obscuris & opacis, certum est, cometam à radiis solaribus illustratum, repercussu lucere, non minus ac aér noster vespertinus aut matutinus Solis jam adhuc sub horizonte constituti radiis accensus resplendescit.

Ubi qvidem comparatione factâ, cum nuperum cometam satis alioquin illustrem, dum appropinquaret Soli paulò ante Solis ortum à circumfusi aeris crepusculini splendore discerne-re vix potuerimus, colligere licet, non multo majorem esse Cometæ lucem reflexam, quam est aëris crepusculini prope Solē, licet Cometa, dum sub minori specie è tenebris emicat, & oculo non præoccupato cernitur, clarius lucere vulgo credatur quam aér crepusculinus, aut diurnus, qui amplissima sui facie sensorium obruit. Perinde scil. ut Venus inhæsive clarior appetet, quam discus lunaris, cum luna pleno vultu lucet.

Cœterum qvod modum lucendi concernit applicandum

bic

hic ad cometam est, qvod supra in genere de luce reflexa diximus.

Cum cometa sit corpus rarum inordinata superficie terminatum, per prop. I. & observ. I. sequentia certa sunt corollaria.

COROLL. I.

Cometa per reflexionem & refractionem lucet.

COROLL. II.

Cometa sphæricè dispergit radios à Sole acceptos.

COROLL. III.

Cometa plus radiorum versus oppositum Solis emittit, qvam versus quacunqve plaga alias,

SCHOLION.

Cum cometa non multo fortius qvam purus aér luceat, probabile est & evidētia qvadā physica constat, raritate pariter & pelluciditate cometam cum aëre paria facere. Ex qvo porro sequitur: radiorum per corpus cometæ ad oppositum Solis transeuntium copiam in tantum excedere copiam aliorum reflexorum, ut hi præ illis nullam habeant sensibilem rationem. Scilicet, ut aëris lux reflexa nullam habet sensibilem rationem ad lucem Solis qvam per refractionem transmittit.

COROLL. IV.

Cometa in crepusculo visus debilior appetet qvam ē tenebris elucens.

COROLL. V.

Cometa pro varia dispositione aëris varios colores refert, plerumqve tamen subalbicans est, sæpe rubicundus.

PROP. IV.

Cauda cometica radiis Solaribus à cometa repulsis in aëre probabilius qvam in æthere formatur.

Demonstratio.

Si substantia reflectens eam lucem in æthere existeret, per hypoth. aut æther ipse esset, aut ætheri superinducta cometam comitaretur, ut vel è capite cometæ continuo flueret, vel circa cometam quasi materia secundaria minusqve condensata tantum existeret, cumqve cometâ progrederetur. Atqvi non est æther qvippe qvi adeo subtilis est, ut visum omnem subterfugiat, nec radios lucis repellat, per Lemma 3. Qvod si dicas eam materiam ex capite cometico, continuo radiorum solarium appulsu qvasi sollicitatam elici, per hyp. cum cometæ per se sit corpus rarum, per prop. i. hujus, & ad caudam suam interdum se habeat, ut $\frac{1}{4}$ ad 90. h. e. ut i. ad 360. per obs. 7. & 3. quanta proportione claritas adeoqve densitas capitis claritatem adeoqve densitatem caudæ non excedit, per obs. 7. & coroll. Ax:3. hujus, totus cometa simul & semel in caudam resolutus absumeretur, qvod est contra manifestam experientiam, per observ. 8.

Si dicas, materiam caudæ undecunque ortam, tantum committari cometam, sive saltim ex ea parte qvæ spectat ad oppositum Solis, ubi cauda conspicitur, sive circumcirca, qvæ tamen ex ea tantum parte conspicua sit, qvæ vergit in oppositum Solis, radiis Solaribus, qvi per caput transferunt, in exitu refractis, adeoqve magis unitis & constipatis, ut materiam qvæ caput sequitur fortius, qvam reliquam illustrare adeoqve conspicuum reddere queant, per hypoth; experientia reclamare videntur. Præterqvā enim qvod cometa, cuius cauda ad 90 grad. elongatur instar monstri totum hemisphærium cœli materia sua replete, omnesq; in eo hemisphærio stellas hebetiori, qvam reliquias, luce conspicuas redderet, qvod est contra obs. II. etiam obstat latitudo caudæ, per obs. 10. cumqve tractus constipatis radiis illustratus semper angustior esse debeat, qvam qvi radiis iisdem libere sparsis illustratur per ax. 9.

Cumqve nihil amplius in æthere inveniatur, qvod caudæ pro materia substerni possit, per κοινὴν ἔννοιαν, igitur probabilius in aere formatur cauda qvam in aethere. Q. E. D.

SCHO-

SCHOLION.

Qva ratione vero in aëre formetur cauda, vid. in speculo Terræ. pag. 172 173. & sqq.

COROLLARIA.

COROLL. I.

O Mnia animalia per radiorum receptionem vident.

COROLL. II.

Cornea tunica simul cum humore crystallino tantum confert ad visionem, quantum Sphæra solida pellucida solaribus radiis exposita confert ad combustionem.

COROLL. III.

Radii ab eodem puncto visibilis super universam corneam sparsi post crystallinum humorē in ipsa Retina tunica denuo concurrunt, & si visio fuerit distincta se non decussant; à diversis autem punctis rei visibilis in oculum transmissi radii partim ante posteriorem humoris crystallini superficiem, partim post eam concurrunt, & ut visio sit distincta, se decussant, inque contrarias abeunt partes.

COROLL. IV

Species visibilis in oculi fundo situm habet inversum, & res ipsa nihilominus per eam sifstitur erecta.

CO-

COROLL. V.

In oculo vegeto, si objecta visibilia sunt propinqua,
nisi humor cristallinus anteriora petat, non fit di-
stincta visio.

COROLL. VI.

In oculo vegeto, si objecta visibilia sunt remota, ni-
si humor crystallinus versus retinam accedat, non
fit distincta visio.

COROLL. VII.

Qui propinqua æque ac remota distinctè cernere
possunt, humorem cristallinum habent ante retro-
que mobilem.

COROLL. VIII.

Qvibus humor crystallinus in anteriore oculi par-
te hæret $\mu\nu\omega\nu\epsilon s$ sunt.

COROLL. IX.

Qvibus humor crystallinus in posteriore latet sunt
 $\pi\varrho\sigma\beta\bar{\nu}\bar{\zeta}\bar{\iota}\bar{\alpha}$.

F I N I S.